

bantia, amboque improles extincti. Vnde Ordinum Brabantia suffragiis devolutus est hic Ducatus ad Philippum, cognomine Bonum, Burgundia Ducem, & superioris Ioannis filium, atque hoc demum pacto ad Burgundos rediit Brabantia, inde ad Austriacos.

*Non tota
paret Au-
striacos.*

Hodie non uni Domino tota paret Brabantia. Quaedam enim partes, urbesque sub Federatorum Ordinum sunt potestate, quae aut in federe prisco permanferunt, aut à Federatis armis recuperatae sunt. Eae sunt Berga ad Zomnam, Steenberg, Lilloa arx, Wilhelmi oppidum, Gravia, & anno 1629, magno molimine, in aeternam Principis Auriaci laudem, victa Sylva Ducis, cum annexa illi Tetrarchia, Campinia, Peelandia, Maselandia, & Ostervico: uti & Trajectum ad Mosam 1633, Breda vero 1637.

Aer.

Clemens ubique & salubre Brabantiae coelum, ager planus, & majori ex parte frugum ac fructuum fertilis. Licet enim Campiniae solum sterilius sit, ob arenas, tamen assiduus agricolarum cultus & labor, ac crebra sterco ratio tam luculenter huic defectum supplet, ut egregia messe dominum suum quotannis beet.

Lovanium.

Lovanium prima & vetustissima urbium Brabantiarum sub Normannica tempora conditum censet Cl. Lipsius, & ab ipso situ lingua nostra sumsisse nomen. Est, inquit, in hac urbe ad orientem collis & silva quam *Lo* etiamnum vocant & *Loberg* & *Lobofch*. est & subiecta planities ad flumen quam vetus lingua *Deen* dixit. Ergo *Lovanium*, sive ut vetus & vera vox, *Loben* dictum quasi *Lo-veen* humida planities ista *Loe* subiecta. Sita est urbs in ubere admodum solo, ut cum iudicio maiores eam studiorum atque Musarum sedem delegerint. Habet enim, quod inter alia ejus ornamenta familiam ducit, celeberrimum illud omnium facultatum & artium Athenaeum, quod instituit anno à Christo nato 1426 Ioannes I V, dux Brabantiae, & perpetuo censu multisque insuper privilegiis à Martino V. P. M. approbatis donavit. Philippus II, Hispaniae Rex, Brabantiae dux, &c. stipendia professoribus auxit & Theologicas lectiones aliquot adiecit. Prodiit hinc Adrianus sextus P. M. ortu Ultrajectinus. Claruerunt hic in Theologia Ruardus Tappart, in utroque iure Gabriel Mudæus, in Medicina & Mathematicis Gemma Frisius. Habet nobilissima templorum, monasteriorum, conventuum aedificia, inter quae eminent, primaria aedes D. Petro sacra, & Curia. Fuit olim Lovanium Comitatus, etsi autem hodie declinasse videatur, primi tamen Brabantiae terrae quadrantis caput est, reliquas urbes praecedens, prima enim Principi iuramentum praestat, & vicissim ab illo suscipit, primum in negotiis votum habet, praeterquam in subsidiariis regis petitionibus, in quibus Antwerpia, cujus propter potentiam plurimum interest, prima sententiam dicit.

Bruxella.

Bruxella nomen habet ab arce quam Senones Belgica.

Angliae populi olim exstruxerunt: mirabili prorsus est situ, partim in plano, partim in edito posita, solo ampla & gemino moenium ambitu clara, dignissima certe maximo principe sedes, felicissimo enim terreno circumdata, & leucae tantum quadrante abest Sylva Sogniacensis venationibus insignis. Domus urbanae ut plurimum elegantes & adfabre structae, aedificia numinis cultui sacra non solum pulchra, sed & sumtuosa, primum D. Michaeli Archangelo olim, nunc D. Gudilae consecratum, Palatia procerum varia & splendida. Palatio Regio adhæret vastum & peramœnum vivarium, parcum vulgo appellant, muris undequaque circumdatum, cui includuntur aliquot domus, catadromi, sphaeristerium, horti, labyrinthus, piscina, quidam colles, valles, silvulae, prata, &c. Bruxellae ortus est stupendum illud naturae miraculum Andreas Vesalius, Medicus Regius, Chirurgus & Anatomicus praestantissimus. Hic est perpetua sedes Cancellariae Brabantiae, nec non supremæ curiae rei clientelaris, & aulae regalis, ejusdemque Magistratum ac Consiliorum, unde iure urbs regia nominatur.

Antwerpia, urbs inter omnes Europaeas elegantissima, emporium ante exortos motus Belgicos celeberrimum, de cuius situ, splendore aedificiorum, populi industria ac divitiis multorum extant libri. Illustravit eam inter alios Ludovicus Guicciardinus, post hunc Andreas Schottus è Societate Iesu, & Melchior Barlaeus poeta praestantissimus, patruus Casparis Barlaei poetae Batavi. Illius scripta sunt haec: *Bucolica: De Diis gentium: De raptu Ganymedis: De vetustissima Brabantica gentis origine, sive Brabantiados: Item urbis Antwerpianae Encomium.* Vnde Antwerpia dicta sit, sub iudice lis est. Omnium illi ineptissimi, qui à manibus projectis Handwerpen dictam putant. Eos Caroli Scribanii verbis refutasse suffecerit, cujus haec sunt in Originibus Antwerpiensium.

Antwerpia.

Sunt qui *Handwerpiam* à manibus projectis dictam voluerunt: ac ne quid fabulae deesset, Gigantem repperunt, cujus etiam dentem ostentant palmo majorem. Credamus habuisse duos supra triginta, quantum os illud fuerit, in quo tot palmares dentes luserint? Sex pedes justam viri longitudinem statuunt, quatuor palmi pedem, ut quatuor digiti palmum. palmi ergo x x i v virum dabunt, hunc virum arbitris ludere inter dentes gigantes nostri. monstra narro. propius etiam subducamus calculum. Concedamus in iusto viro ordini dentium longitudinem palmorum duorum, quae duodecima iusti hominis pars est: necessum erit Gigantem nostrum palmos complexum minimum x c v i, qui cubitos x v i statuunt, pedes x x i v, licet dentium illius ordini non nisi octo palmos concesserimus. Quid si palmos tribuamus x v i, centum & x c i i palmos æquaverit, qui cubi-

D

tos